

**De scabie crustosa seu Norwegica Boeckii : dissertatio inauguralis ... /  
publice defendet Albertus Cohn ; amicis opponentibus Otton. Lange, Aug.  
Busch, Henr. Schaberg.**

### **Contributors**

Cohn, Albert, 1832-  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Bonae : Formis I.F. Carthausii, [1856]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vh8wg3y9>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Bonnae Boni*  
**DE SCABIE CRUSTOSA**  
*Co-St* SEU  
**N O R W E G I C A B O E C K I I.**

*Co-S*  
**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM  
ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE CAPESENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXIII. MENSIS MAI A. MDCCCLVI.

PUBLICE DEFENDET

**A L B E R T U S C O H N**

GLOGAVIENSIS.

AMICIS OPPONENTIBUS:

OTTON. LANGE, DD. MED.

AUG. BUSCH, CAND. IUR.

HENR. SCHABERG, CAND. MED.



**BONNAE**

FORMIS I. F. CARTHÄUSII.




**VIRO EXSPECTATISSIMO, HUMANISSIMO**

**J O S. R A S C H K O W**

**DR. MED.**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22364997>

## **Historia.**

Iam antiquissimis temporibus morbus, quem hoc libello describere conamus, homines iactasse videtur, sed recentissima demum aetate, crescente in dies studio anatomiae morborumque cutis, cognitus ac diiudicatus est. Scabies enim, quam dicunt norweticam, quod primum in Norvegia animadversa est, ibique latissime vagatur, non solum in illa sed sine dubio in multis aliis terris exstitit existitque, a medicis tamen pro alia affectione habebatur aut ab aegrotis ipsis prorsus negligebatur. Quare eo magis nunc illius natura et forma exploranda erit, quum permagna cum aliis morbis ei insit similitudo externae speciei, idemque nonnullis in regionibus nimis hominum valetudini damnum afferat vitaeque ipsi comminetur. Primus autem scabiem Norweticam, quem melius etiam crustosam dicas, Hebra accuratius descriptsit. In Leprae enim Arabum tuberculis, anno MDCCCXLVII genus quoddam a Danielssen et Boeck inventum est crustis circiter 2" altitudine subductum. Quae quum diligentius disquisitae essent, ingens numerus acarorum scabiei, qui initio haud pro illa sed pro alia acarini generis specie habiti sunt, quod compluribus punctis corpora essent variata, inventus est. Postea in alio homine, qui Lepra tuberculosa non laborabat, similes crustae repertae sunt, eaeque cellulis epidermidis siccis constitutae. Quarum crustarum nonnullas, quae ei missae erant, Hebra diligenter exploravit, malum illud Scabiei vul-

gari simile declaravit, atque Norwegicam Boeckii cognominavit. Neque tamen in Norwegia tantum sed etiam in Germania ex illo tempore morbus observatus est, primum in polyclinice Goettingensi a beatissimo Fuchs, qui tamen permultos vivos invenit acaros, quum in illis crustis, quos Hebra perscrutatus erat, non nisi mortui animadverti possent. Fuchs rursus in alia persona, eodem morbo laborante, acarinatos vivos animadvertisit nec forma nec magnitudine distantes ab acaro hominis. Praeterito anno denique Wirceburgi a Bamberger scabies crustosa observata est in muliere, quam inspicere atque accuratius explorare nobis ipsis contigit. Re vera horribilem illius morbi affectionem aegroti vix cognoscere eiusque periculum aestimare videntur, atque etiam mulieris illius, ex multis annis affectae, ad hoc tempus, ut curiae se traderet, non interfuit.

## Symptomatologia.

Quod ad cutem scabie norwegica affecti pertinet, non nullis locis eam elevationibus crustaceis, magnitudine lentis usque ad manus maiorisque spatii obductam observamus, haud raro duarum aut trium unciarum altitudine, quae vero non omnibus partibus aequa sed in media paullisper prominet, ad lineam circumcurrentem tamen magis comminuta est; colore cano, sordido nec non candido, interdum cretae simili. Crustae iam quasi pulvere griseo alboque tectae videntur; et, cultro superioribus stratis abrasis, candidiores et penitus aridae conspiciuntur, sparsim fissuris interruptae. Tota autem crusta non procul opera aliqua ablata, corium rubrum, madens, paullisper cruentum sed praeter haec immutatum

in lucem profertur, unde morbum tantum in epidermide sedes suas habere, concludi potest. Ceterum cutis nec sanguine infiltrata neque exsudato aliquo variata est, nisi vesiculis et excoriationibus, quae tamen, ut opinamur, non specificae sed fricando scabendoque erectae praeter multas rhagades superficiem corporis pallidam quasi variegant.

Quodsi pulverem illum, quem de crustis cultro radendo detergimus, microscopio minori spectamus, primum cellulas epidermidis, plane siccas, quemadmodum surfures splendentes perspicimus, maiori vero microscopio, innumerabilem, maximam partem quidem mortuorum sed nonnunquam vivorum etiam acarorum multitudinem, nec non ovula atque excrementa illius animalis minutissimi, imprimis tamen multa corpora corrugata, punctis fuscis signata, quae falso a Daniellssen et Boeckio pro nova quadam acari specie habebantur. Ex his morbum non nisi in psoridum genere collocandum esse, censemus. Totius etiam corporis, si psorae inesse signa specifica putare licet, habitus psoricus est: color cutis luridus et viridi flavescens, musculorum emaciatio ac debilitas haud exigua, seborrhoea capitis et capillorum defluxus, inertia et pigritia et animi depressio et stupiditas quaedam — quae omnia insignia etiam mulier a nobis observata prae se tulit. Summum in modum ex his symptomatibus calvities capitis, quam aegrota querebatur, nudaque supercilia capillis prominebant: id quod vultui proprium quoddam, fastidium movens, reddebat.

Crustae acaris refertae non solum ea loca, quae sarcoptes in aliis huius generis morbis incolere solet, ut in spatiis inter digitos, in cute flexurae olecrani et pedum ceterisque partibus notis, sed supra totum corpus dispersae esse possunt, praeter membrana mucosa, uti cetera quoque scabiei genera nunquam in hisce sedibus reperta sunt.

Illo, quod nobis sese obtulit exemplo, non totum corpus sed nonnulla spatia exanthemati erant obiecta: galea capitis paene universa, faciei, humeri, brachii, pedis et pubis non-

nullae regiones; et quidem, mirabile dictu, symmetriam sequentes crustae obtinebant loca sua, ita ut utrumque tempus, collum, femur et olecranon uterque humerus utraque manus et patella tegumentis crustaceis obducta essent, quum, ut iam supra commemoravimus, excoriationibus neque raro papulis vesiculisve passim variegata esset cutis.

Si, quae sint illius affectionis complicationes aliis cum morbis, exquirimus, nos quidem, nisi glandularum colli lymphaticarum, consensualiter ut opinamur, quemadmodum ex omni incitamento capitis collique cutis, quae longius perseverat, ortarum, intumescentiam, nullam vidimus. Attamen Hebra, sese cum Syphili hanc affectionem coniunctam conspexisse, affirmat. Crustae nec ipsae nec cutis vicina ullum praebuere nobis signum syphiliticae dyscrasiae specificum, neque in genitalibus ulcera seu cicatrices invenimus. Nec tamen dubitamus, quin cum alio cutaneo morbo, ut cum ecematice aut impetigine aut lichene per facile Scabies Boeckii complicata esse possit, eo forte modo, ut in eruptiones impetiginosas translati sint acari, ibique, id quod infra disseremus, crustas conformentur.

## Diagnosis.

Summi momenti esse videtur in scabie norwegica di iudicanda prae ceteris cutaneis morbis diagnosis differentialis propter permagnam cum aliis formis, natura et origine differentibus, similem speciem. Affectionem illam omnibus saeculis fuisse et in medicorum conspectum cecidisse non minus quam sarcoptem ipsum, sed false di iudicatam, iam ex eo concludimus, ut multos eruptiones crustaceas aut squamosas, in qui-

bus bestiolas, non nisi ope microscopiorum detegendas animadvertisserent, sese invenisse et cognovisse, veteres medici ac physici referant, quas, certe immerito, similitudine solum exanthematis commoti, in Leprae ac eiusmodi degenerationum numero locabant. Acarus ipse antiquis temporibus ac medio aevo vix accuratius cognitus erat; et, si Avenzoarem, medicum Hispanicum, animal illud detexisse, tradunt, tamen denuo oblitone obrutum ac demum Cestonii diligentibus quæstionibus ab oblivione vindicatum est.

Maxima scabiei crustosae cum Favo inest similitudo, atque nos ipsi cum multis aliis primo adspectu pro Favo eam habuimus. Odor teterrimus enim, quem porrigo exhalat, tam penetrans, urinae felinae simillimus, crustis haud defuit, ac colorem illum canum, in griseum vergentum, altitudinem atque circumferentiam aequa ac porrigo oculis praebuere. Atque eo maius periculum commutationis exstat, quum etiam diligentioribus microscopicis scrutationibus interdum aliquid commune cum scabie norwegica inveniri queat. Recentissimis enim Favi disquisitionibus microscopicis Dr. A. Willigk acaros animadvertisit\*), unde, nisi in structuram fungiformem

\*) (Schmidts Jahrbücher.) „Der äussere Umriss der Thiere bildet ein Oval mit leicht vorragendem, kegelförmig zugespitztem Kopfende und abgerundetem Hintertheil. Die Länge schwankte zwischen 0,116—0,252 Mmtr. ( $\frac{1}{20}$ — $\frac{1}{10}$  Linie), die Breite am untern Ende des Cephalothorax zwischen 0,084—0,132 Mmtr. Der Cephalotorax wird von oben nach abwärts allmälig weiter und überragt hinten und seitlich etwa in Form eines Pilgerkragens den Hinterleib, der an der Verbindungsstelle mit Ersterem seicht eingeschnürt, sich auch nach abwärts erweitert. Einzelne lange und starke Haare entspringen von leicht erhahenen Wärzchen. Von den 4 gegliederten Fusspaaren sind die beiden vorderen am vorderen Ende des Cephalothorax, die beiden hinteren an der Bauchfläche des Hinterleibes gegen der Seitenwand zu, dicht unter einander eingelenkt. Jede Extremität zeigt 5 deutlich unterscheidbare Glieder, deren erstes kürzestes, theilweise im

et thallos summa confertur ratio, per facile Favus cum scabie Boeckii possit commutari. Nihilominus adspectus iam sufficit ad utrumque morbum diagnoscendum: primum, quoniam in hac affectione scutellae, quae semper in Favo conferto videntur, penitus desunt, et potius concrementa crustosa in medium altissimae fiunt, aut saltem eadem qua margo altitudine, dum etiam basis squamae corio obversa non convexam uti in Favo, sed omnino planam, aut paullisper tuberosam sese formet. Tum autem Favus non nisi in capite, capillis obducto, enasci solet, nec unquam fere alio loco cutis summae, Scabies autem norwegica diversis partibus, collo, olecrano, regione inguinali, patella etc. Porrigo porro conferta, crustarum aut paene rotundarum aut oblongarum, quae thallorum concentrico incremento amplificari videntur, effigiem praebet, in scabie crustosa contra aliae praeter circulum aut oblongum formae observari possunt, quum crustarum

Körper eingesenkt, an das stärkste, 0,018 Mmtr. lange, leicht seitlich aufgebogene (Femur) stösst, worauf 2 gleich lange (0,015 Mmtr.) und ein konisch zulaufendes, 0,032 Mmtr. langes Endglied (Tarsus) folgen. Die einzelnen Glieder sind von einander durch leichte Absätze geschieden und an diesen mit verschieden langen Haaren besetzt; das letzte Glied geht durch einen kurzen Stiel in einen kleinen Haftlappen (Arolium) über. Am Mundende finden sich 2 Paare zangenförmige nach vorn an der Innenseite fein gezähnte, nach hinten zu einem Ringe geschlossene aus einer blassgelblich gefärbten Substanz bestehende Beisswerkzeuge. Eine Gelenkverbindung zwischen den einzelnen Lamellen aufzufinden, gelang nicht. Zu beiden Seiten derselben entspringt je ein aus 3 cylindrischen Röhrengliedern zusammengesetzter Fühler, dessen letztes schmalstes Ende in 2 zarte und leicht gebogene Hacken ausläuft. Eine Substanz jener ähnlich gefärbt, aus der die Fresszangen bestehen, bildet zwischen den Fühlern und dem ersten Fusspaare, sowie zwischen diesen und dem 2. Fusspaare, stachelförmige, leicht gebogene Fortsätze. Einspaltige After- oder Geschlechts-Oeffnung findet sich am hinteren Leibesende und zu beiden Seiten derselben je 2 starke Haare.“

margines haud raro obliqui aut dentati aut angulosi se extendant. Magnam partem nisi non contagio ortus, Favus scrofulosae dyscrasiae fructus exstat, Scabies autem, nusquam terrarum hereditaria aut congenita, aut sanguinis dyscrasia acquisita reperitur. Denique in primo incremento morborum, quos comparamus, haec est differentia, quod ille specifico quodam ortu, fungosis, e thallis compositis, gemmis, papuliformibns, sub epipermide erumpentibus eamque extollentibus, exstat, haec, ut scabies vulgaris, vesiculis pustulisve oritur, quae sacroptium in stratum pituitarium fodientium incitamento exsudantur.

Haud difficilior a psoriosi, diffusa quae dicitur, erit distinctio. Quamvis in psoriosi sit aliquid simile et formae et originis crustarum, propagatio supra totum corpus maior, minor autem eruptionis elevatio, morborum, quos tractamus, diagnosin per facilem reddit. Maxime autem eo differt, ut, crustae radiatae et magis squamiformes in psoriasis, cute valde infiltrata, tumente et erythematosa cingantur; in scabie crустoso nulla rubescens vel tumescentia cutis adsit, quae crustas circumdat, sed color et structura in summa integritate.

A commutatione huius affectionis cum ecceitate impetiginosa, confluentes crustas exstruente, quod omnibus fere partibus corporis gigni potest, crustarum color magis subflavus aut viridis, tenuitas maior, maxime tamen plasma puriforme, quod eas cuniculat, certe tuebitur. — Alia autem cum serpigne diffusa res se habet, quam „Borkenkraetze“ dicere in usu est. Primum, quod ad ortum refert, ut scabies norwegica ipsa pustulis aut vesiculis in cute prodire atque etiam, Fuchsio auctore, contagiosa fieri potest. Narrat enim in libro suo de morbis cutaneis, a nutricibus, quae morbo illo laborarent, in lactentes translatum esse contagium. Tum etiam illae natura tam dissimiles formae aequales sunt, ut in utraque sola epidermis sedes morbi fiat et sub eruptionibus eius,

eadem siccitate praeditis, haud exigui acari hominis adsint, quo efficitur, ut omnino infectiones frequentissimae gignantur. Attamen sine omni difficultate accuratiori perscrutatione crustae serpiginosae differri poterunt ab illis, de quibus agimus; nam colore cano magis carent, ac potius impetiginis confluentis appropinquant: scilicet luride lucent, neque eadem quam in scabie Boeckii stabilitate corio adhaerent et non nisi in capite et facie dispersae esse solent.

Denique cutanea quaedam affectio commemoranda nobis erit, quae iam propter cognominis aequalitatem, propter summam in eadem terra, in qua scabies crustosa primum observata est, propagationem frequentiamque, ac propter egregiam similitudinem cum eo cutaneo morbo, cui operam nunc damus, perfacile commutari possit: Lepram norweticam, Elefantiasis Arabum genus quoddam, dicimus; unde, ut initio dissertationis narravimus, Hebra studium suum in nostram affectionem convertit. Recentissimae quidem nec non praestantissimae huius horribilis mali explorationes Boeckii et Daniellssenii ultimo demum decennio instituae, nos docuerunt, esse duas formas Leprae Arabum diagnoscendas, alteram tuberculosam (quae etiam persaepe nostris in regionibus observatur) alteram anaestheticam, quarum illa stadiis ultimis persimilis morbo est, quem hic describimus. Tubercula enim, postquam per diutius tempus in cute immutata in conspectum venerunt, paullatim erythematosa et inflammata fiunt, donec superficiem derumpant et in tumores purulentos vertantur. Ex illo tempore tubercula, iam non diutius tubercula quam ulcera, crassis crustis obteguntur, et colore quum subfusco tum etiam cineraceo et cano, non nunquam fissuris dissecta, partim solitaria partim confluentia, apparent. Quorum acervorum crustaceorum molecula quaedam microscopio subiecta, squamae quasi fulgentes videntur, ac nihil nisi animalcula mortua et viva, eorumque ovula et excrementa, quae sarcoptium hominis formam et structuram in propatulam afferunt, oculo inducunt.

Ipse Daniellssen (Traité de la Spédalskhed, traduit par Cosson, Paris 1848) haec: „Il y a une espèce de tubercules, couverts de croutes épaisses, dans lequel nous avons découvert un acarus; cet insecte se présente par millions, non seulement à la surface de tubercules mais même dans la masse tuberculeuse rammollie“ de hoc morbo contendit, ita ut, forma, colore, textura, scilicet: confluxu innumerabilium acarorum scabiei, cellularumque epidermidis et plasmatis exsudati quasi mixtura, quae Lepram norwegicam haud dissimilem scabiei Boeckii reddit, iuvante, facile illa pro hac haberi possit. Eo maius autem inter eos naturae atque originis discri-  
men est. Id, quod accuratius infra disseremus: in scabie norwe-  
gica eruptiones non nisi cuniculis in epidermide actis erumpunt  
albuminisque effuso exsudato atque epidermidis maiori incre-  
mento augentur, neque alio morbo specifico neque dyscrasiae  
originem suum debent; crustae autem illae, quae ex tuber-  
culis originem habent et formam, dyscrasiae cuiusdam, scili-  
cet Elefantiasis Arabum proles sunt \*). Quodsi denique to-  
tius morbi complexum, cuius tubercula illa ulcerantia ac tum  
crustis obiecta minima forte pars est: sanguinis dyscrasiam  
potius hereditatam quam acquisitam, corporis habitum, vultus  
aegroti, idiotismus speciem praebentes, cutem ubique nodo-  
sam et anaestheticam, musculorum paralysin coloremque magis  
subfuscum quam candidum respicimus, prae aliis, quos com-  
menti sumus, morbis, commutationem in diagnosi cum scabie  
norwegica certe evitare poterimus. Ceterum horribile illud ma-  
lum nostris in regionibus rarius invenitur, quin eiusmodi er-

---

\*) Non omnia, quae in Elefantiasi Arabum exstant, tubercula, in epider-  
mide aut tela subcutanea huius ulcerationis et in crustas mutationis,  
generationisque innumerabilis acarorum faunae exitum habere viden-  
tur, sed specifica quaedam, si quidem verba illa „Il y a une espèce  
de tubercules“ a Cosson recte e Suecorum lingua in sermonem Gal-  
lorum translata sunt.

ror timendus nobis sit, uti etiam ulcera Radesyges, quae tubercula Elefantiasis Arabum aequare dicuntur (in quibus etiam Alibert non nusquam acaros scabiei vidit), quoniam rarissime in Germania observantur et syphiliticae dyscrasiae notis propriis prominent, vix cum scabiei norwegica confundentur.

## Aetiology.

De actiologia exanthematis crustosi in affectione, quam describimus, paene eadem dicenda sunt, quam in scabie vulgaris. Multi fuere ac fortasse nostris his quoque temporibus medici sunt, qui scabiei originem ex cachexia in corpore orta deducant, aut ex contagio purulento quodam aut ex miasmate; et in illustrissimi Fuchsii ipsius clarissimo libro de commutationibus morbidis cutis, cui inesse sumnum ingenium nullum medicum fugit, aut contagibus nonnulla genera scabiei oriri, praeterquam quod translatis acaris nasci possint, aut miasmate, atque scabiem omnino sine acaris existere, legimus. Quin etiam primum eruptiones gigni et in iis, generatione quasi spontanea, sarcoptes, censem, dum iam pridem in sanguine scabies esse queat, quae psoricam dyscrasiam efficiat. Quam opinionem nos quidem nullo modo probamus. Multis experimentis ab Hebra et Eichstedt et Bourguignon actis, qui pustularum aut vesicarum pus in alia corpora transplantaverunt, elucet, contagium non esse in exsudato plasmate vel sero, sed animal ipsum solum in cutem transgressum scabiem veram producere valere; eruptiones autem, atque efflorescentiae illis similes, quae in scabie videntur, non nisi incitationis acris puris fructus aestimandae sunt. Optima autem refutatio

falsae illius sententiae est, quod scabies, auctore Renuccio quodam in insula Corsica, (in qua ita curabatur iste morbus) sine opera sanari eo potest, ut singuli acari ex cuniculis suis acu eximerentur atque amoverentur.

Neque vero id putandum est, quod ad nostrum tempus credebatur et certe etiamnunc a plurimis putatur, ex omnibus animalibus quoque veram scabiem in homines transduci posse, sive exanthematis liquore sive acaris. Ne ullum quidem huius opinionis argumentum adest certum, litteris probatum, ex equi aut canis aut ovis scabie in corpus humanum transplantata scabiem humanam ortam esse; persaepe enim, quum scabie orta, quae infectione ex animali erupta esse videbatur, sarcoptes microscopio inspecta sit, acarus non bestiae illius sed humanum se praestitit. Observatum est, in equitum stabulariorumque, qui equos scabie laborantes tractaverant, cute pustulas vesiculasve effloruisse, humanae scabiei simillimas, atque homines illos nocturno pruritu gravide afflictos esse: neque tamen affirmari inde potuit, scabie vera eos affectos fuisse. Pustulæ, quae exstitere, nocturnusque pruritus forte non nisi puris incitamento aut acaro equi ipso, quem in hoc novo aliter constituto corpore vivere haud libuit, pungendo mordendove effectæ sunt. Absunt autem signa scabiei pathognomonica, scilicet: in epidermide cunicula, intacto corio, sarcoptes semina cum ovulis in cuniculis, atque inde demum, post ingressum acari usque ad rete Malpighii papulae aut pustulæ eruptæ: haec enim sola veram scabiem significant. Ipse Bourguignon \*), peritissimus huius morbi investigator, in cutem suam acaros equinos transplantavit, neque aliud quidquam egressum est nisi pruritus quidam tamen sine omnibus efflorescentiis; quo, sarcoptes alienos in homine ne diu vivere quidem posse, demonstratum est. Canium quoque, leporum, avium in homine collocavit acaros, qui, ut in iis veram scabiem gignerent, tan-

---

\*) Schmidts Jahrbücher Bd. 87. pag. 189.

tum absuit, ut vix nonnullos dies degere videret. Leonis quamvis magnitudine, robore et natura ab homine distet, ac forte cuiusque in felium genere bestiae, exempli gratia felis domesticae, acari soli, quum in cutem humanam transgressi sunt, scabiem gignunt, femineis enim insectis in epidermide cunicula munitibus, unde papulae exstant, mare autem levi fossicula in summa epidermide versante. „Ita felis sola ex omnibus animalibus domesticis scabiem veram in homines transiicere potest.“ Atque hoc iccireo evenit, quod forma corporis bestiolae et apparatus organorum in epidermidem ingrediendi et cunicula muniendi persimiles in acaro felino hominis acaro, non nisi magnitudine sua differente, sunt: leonis acaris maior inest vis et amplitudo, felis tamen minor, ita ut illi admirabili quadam celeritate sese in humana corpore propagent, ut quoque Bourguignon nuperrime narravit, in vivario quodam Lutetiae Parisiorum, ubi leo scabie laborabat, omnes custodes celerrime morbo eodem infectos esse. Aliarum autem bestiarum sarcoptes veram scabiem in cute hominis efficere non possunt, nam in eo non quamque vesicularum eruptionem, ut fere semper in animalibus fit, scabiem nominare licet.

Quod ad valetudinem ac constitutionem hominum pertinet, qua optime acarus sedem et incrementum sibi parare possit, omnis fere homo, et ipse constitutione robustissima praeditus, plurimum in infectionem incidat, rarius autem debiliores aut aegroti afficiuntur. Aliter res in bestiis se habet, quarum non quaevis eiusdem generis ac speciei acaris imbuitur. Idem Bourguignon persuadere sibi in mente habuit, num inter bestias diversi generis scabies transplantari posset, quod haud succedere intellexit; tum autem etiam ne unius generis quidem individua acaros scabiei pascentia animadvertit. Forte accedit, ut non sanas sed imbecilles nonnullas bestias, quae in morbum istum inciderant, observavit, in quibns acari magis, quam in aliis unquam spectaverat, augebantur. Inde experimentum fecit, ut nonnullas fame aut obnoxio pa-

bulo depasceret, atque hae bestiae celerrime affectae sunt, et acaris ingentem propagationem praebuerunt. Ex quo aegrota, psorica quasi dyscrasia imbuta, facilius quam sana animalia scabie infici posse, et fortasse ea sola, concludimus. Homo autem aegrotus minus quam sanus, qui recipiat et incrementum sarcoptibus scabiei det, aptus esse videtur.

Scabies crustosa, non aliter ac vulgaris omnium aetatum homines crustis suis obducit, infantes et senes et viros, quamquam illi rarius quam hi afficiuntur. Mulier ista triginta annorum, quam nobis observare contigit, infantem suam vix annos tres natam, frequentibus crustis eiusdem formae generisque obtectam tulit et fratres duos aetate virilis degentes iisdem crustis refertos habere narravit. In iis terris, ubi latissime propagata est, praecipue in Norwegia, et, ut Dr. Heymann in societate medicorum Heripolensi tradidit, in insula Java rarius homines ab aliis segregati scabie Boeckii affecti inveniuntur, quam ipsae familiae et domus, quin etiam universos fere pagos affectione illa laborare, qui has regiones peragraverunt, narrant.

Quae origo sit scabiei norwegicae et quem progressum ac incrementum faciat, observantibus, circiter haec indoles ac natura morbi appareat. Initio, quod iam supra recitavimus, ut in vulgari scabie vesiculae aut papulae in cute enascentes spectantur. Hoc primum in illis locis evenit, ubi epidermis minus incrassata invenitur, in qua insecta sedes suas collocant, quemadmodum in flexuris digitorum, humeri, olecrani, atque in regione inguinali, ubi absque tanta opera, quanta in epidermide crassa opus est, cunicula sua munire possunt. Hoc morbi stadium acari frequenter lavando aut medicamentis facile ex corte removentur. Tum omnino non dubitamus, quin symptomatum complexus, qui scabies Boeckii nuncupatur, ex scabie vulgari erumpat: non aliter ac deficiente cura cutis capitis, sordium, sebi epitheliorumque non remotis massis, seborrhoeae maiori effluvio defluxuque capillorum, haud ulla dy-

serasia sed horum excretorum tantum molibus plica polonica sic dicta conformatur, ita cumulatio cellularum epidermidis, sensim arescentium, pulvis ac cuiusque generis illuvies crustas tam prominentes in Norwegica exstruit. Quod etiam eo plane confirmatum videmus, ut nostris in regionibus, ubi legibus civicis incolarumque humanitate et moribus, quorum contagio pernicioso valetudini ac vitae civium comminatur, morbi, diligenter observantur et quam celerrime curae traduntur, rarissime eiusmodi mala obviam veniant, quam ob causam pauci tantum homines, scabie Boeckii laborantes, adhuc a medicis reperi sunt. Aliis contra in terris, in quos minor ingressus est ordo, cultura et munditia, quarum incolis aut inopia aut inertia illis virtutibus operam dare non licet, ut praecipue in Norvegia, Leprae, Radesyges aliorumque morborum insanabilium quasi emporio, urbium et vicorum incolas Scabies crустosa superfluenter inundavit, ac vicos universos quasi ad nosocomia latissima permutavit\*).

Antequam de ortu et incremento crustarum disseramus, brevem acari descriptionem praefabimur. Eo tempore, quo sarcoptes ad iustum magnitudinem pervenit, formae ovalis, longitudine  $\frac{1}{5}$  usque ad  $\frac{1}{4}$  unciae est, latitudine  $\frac{1}{7}$  usque ad  $\frac{1}{6}$  ". Caput bestiolae permagnum universi corporis fere octavam partem conformat et amplis mordendi et vescenti organis, mandibulis dentatis, quae facile moveri possunt, valde prominet. In capite nonnullae setae et utroque latere corpora dua, adhuc prorsus ignota, spectantur. Corpus

---

\*) Medicus pridem batavicus, Dr. Heymann, qui per aliquod tempus in insula Java degerat, illa quoque in terra frequenter in conspectum venire scabiem crustosam, narrat. Quum autem, iocosum dictu, ab inopibus crustae removeantur et sanentur, ditissimos et honoratissimos, imprimis ferarum gentium principes, crustas quasi decus et delicias in palma manu ferre atque in iis maxima cum voluptate scabere, tradit.

striaturaes laterales in tres partes dividunt; tergum lorica quadam, crassis stratis composita, tegitur ac longis hirsutis capillis et spicis munitur, quorum nonnulli coniformes sunt. Ventris superficies pedibus octo ad serpendum praedita est, quatuor parte antica, quatuor postica, quorum illi cavis discis ad adhaerendum aptissimis, ambulacra dictis, hi longis capillis excellunt. Perfacile microscopio oesophagus videri potest, et Eichstedt oleo submersas bestiolas guttulas etiam devorantes vidit, tum ventriculus permagnus, qui cum intestinis, quae e ventriculi latere veniunt, frequentes motus peristalticos exercet, denique anus in striatura caudae positus. Ovarium quoque in acaris femineis, magnis cum ovulis, numero duorum aut trium maiorum minorumve, in maribus autem ingens penis inter pedes collocatus, dum totum corpus minus est quam illud feminae, sine opera detegi potest. Acarorum pulli eo ab adultis differunt, ut initio omnino genitalibus careant et sex tantum pedibus, quatuor in antica, duobus autem in postica abdominis parte incedant. Post primam demum vernationem octo pedes enascuntur, post tertiam in bestiola prorsus adulta generationis organorum evolutio fit.

Incipiente igitur morbo papulae vesiculaeve dignuntur, eaeque quum singulae in cute dispersae tum etiam aggregatum extare possunt, numero duodecim aut maiore. His eruptionibus, aut minore aut maiore temporis spatio post infectionem praeterlapso, tota corporis superficies obducitur, minime autem facies, forte quod illa pars p[re]e aliis maxime lavari solet et minime a frigore defenditur. Denique et hic apparet exanthema, donec omnibus corporis locis superficialibus aut compluribus tamen papulae erumpuntur. Nos ipsi puellam novem annorum Wirceburgi curavimus, quae octavo die post infectionem quum totum corpus acaris resertum habuit tum imprimis faciem. Pruritu molestissimo, vel noctu aucto, quod calore, quem pennae in lectis parant, acari in cuniculis excitantur, aegroti ita perturbari possunt, ut in convulsiones

incident. Iterum scabendo et fricando pustulae in cute dif-  
finduntur, ita ut serum profundatur atque interdum acarus  
prodiens manu in alias regiones transmittatur. Plasmate effu-  
so ac paullatim esiccato pustula in crustam commutatur, sub  
qua acari commotionibus ac incitamentis recens liquor serosus  
profluit. Inde cutis variis eruptionibus ac infiltratis variegata  
est, ita ut acnes, ecthymae, tuberculorum et furunculorum dia-  
gnosin facere facile possis. Nonnunquam, praecipue ubi pustulae  
primariae congregatim positae sunt, fricatio omnes aperit atque  
inde plasma unam tantum confluentem crustam super iis exstruit.  
Omnino scabies minus molesta esset, nisi cutis frequentibus  
frictionibus tantopere profligaretur; semper enim illis locis,  
ubi manus porrigi non potest, ut intra scapulas, eruptio si-  
mul cum pruritu mox evanescit.

Secundum stadium morbi ita manifestatur, ut hae cru-  
stae confluentes in dies maiores fiant, primum, quod eru-  
ptiones vicinae cum illis confundantur, tum quod acari ex  
illo loco amplius epidermidem adiacentem cuniculis suis suf-  
fodian. Itaque ampliae regiones in cute usque ad magni-  
tudinem palmae manus a sarcoptibus occupantur, singulis cuni-  
culis post aliquod tempus ad unam quasi coloniam confluenti-  
bus. Hoc vero momento magnum discrimen inter scabiem  
vulgarem et crustosam eo se obfert, ut in illa quodque indivi-  
duum proprium cuniculum habeat, quod ovulis suis com-  
pleat, in hac tamen sub latiori epidermidis tegumento in-  
gens acarorum numerus sine omnibus cuniculorum singulorum  
limitibus congregatus vivat. Epidermidis autem elementa his  
coloniis non plane destructa esse videntur; ingentes enim  
eius cellularum acervae illae non nisi renovata generatio-  
ne nucleorum et velamentorum cellularum accumulari pos-  
sunt, exsiccant tamen eo modo, ut canitiem et splendo-  
rem nonnullum e crustarum superficie reiiciant. Tum rete  
Malpighii imprimis denuo iterata instigatione, quum digito-  
rum aegroti tum magis etiam sarcoptum, plasma albu-

minosum effundere videtur, quod externa exhalatione omnem humorem amittit. Hoc plasma epidermidis cellulas cum mortuorum acarorum corporibus et ovulis et excrementis conglobat, quae omnia crustis immixta inveniuntur. Exsudatum istud albumen esse, nobis ipsis persuasum est; massis enim aquae destillatae multitudine quadam emulsis, in colaturam filtratam acidum aceticum instillavimus et flocculos albuminosos congregari vidimus. His omnibus ergo scabiem crustosam non nisi scabiem vulgarem inveteratam esse, elucet. Persaepe vera animalium scabies eandem effigiem obfert, quam scabies hominum crustosa: amplae crustae enim in cute gignuntur, quae certe non aliter ac in homine ortae sunt; quin etiam, ut, quem supra commemoravimus, Bourguignon in leonibus nonnullis vidi, qui iam dudum scabie laboraverant, crustae colore, atitudine, textura nec non ingenti acarorum multitudine, quos inter epidermidis elementa invenit, norwegicae scabiei simillimae sunt. Vel hoc puncto morbus ille bestiae et hominis interesse comparari potest, ut in eo contagium eadem celeritate in alios transmittatur. Commemorandum nobis est, aegrotos, quos Boeck observavit, fere omnes personas, qui in eodem conclavi curabantur, morbo infecisse et in lectos maxime distantes acaros transiecisse, ita ut segregato loco tantum scabie norwegica laborantes curare opus sit. Leo, scabie aeger, non solum in alios leones acaros transduxit, sed etiam vivarii dominum eiusque filiam atque omnes custodes, qui longe aberant ab animalibus et ne aspexere quidem animal, malo suo affecit. In celerem, quae in scabie Boeckii gignitur, propagationem insectorum solam referendum est, ut quasi epidemice familias, domus pagosque universos replete. Nemo in vulgari scabie eiusmodi rapidam communicationem vidi. Dum in ea non nisi intimo contactu, pressu manuum, con-nubio, lectis, linteis, vestimentis contagium illud, iure dictum, vivum in alios transeat, in illa iam procul infectio fit.

## Prognosis.

Exitum Scabiei norwegicae commemorantibus nobis praeceteris id praefandum erit, eam per se esse alicuius morbi exitum, scilicet scabiei vulgaris, quae plane neglecta aut minus curata eiusmodi speciem Leprae norwegicae similimam adepta est. Quam ob causam a primario exanthemate illis affectionibus differt, quae cura per longum spatium neglecta demum subsequi solent, tamen nonnunquam, sed rarius, initio morbi, pustulis ac papulis solis erumpentibus, eveniunt. Pruritus, frequenter scabendo fricandoque cutis longinquitate mali non diminutus vel potius auctus noctu exacerbationes vehementissimas efficit, ita ut per totam noctem somnus aegrotos fugiat, necesse sit. Aliae quoque affectiones cutaneae praeter syphiliticas calore exacerbescunt, nulla autem tali impetu, quam exanthema psoricum sarcoptium plenum. Unde corpus debilitetur, appetitus deficiat, animus sit minus hilaris, afflictus, summaque inertia aegrotum opprimat, oportet. Magis etiam in dies constitutio universa procumbitur, quum, exsudationibus in ulceribus auctis, ingenti copia plasmatis sub amplis crustis paullatim effusa vires detrahantur, quia, quum appetitu omnino careat, iactatum robur novo pabulo compensari non potest. Porro crustis super lata in superficie corporis spatia sese expandentibus excreta quoque, sudoris effusio, sebique effluxus impedientur. Inde non solum emaciatio erumpit, sed cachexia quaedam, quam febris hectica, hydrops et anasarca haud raro subsequuntur. Eiusmodi symptomata, etsi non omnia in muliere, quam nos vidimus, in conspectu erant: Color faciei non iam integer, ut pro eius aetate, sed omnino cachecticus, rugae frequentes frontem genasque rugantes, musculi imbecilles, panniculus tabefactus, assimilatio deteriori statu fuerunt; magis

etiam summa animi depressio, tristitia atque inertia observabantur. In animalium similibus malis multo celerior et vehementior virium prostratio evenit, quum iam non nisi corpore debilitato infectio fieri possit. Bourguignon illos leones, non ex longo tempore scabie laborantes collapsu celeriter profli-gatos et mox emaciatione febrique hectica obire, in equis nonnullis iisdem crustis obtectis muco mortem accelerare vident. Omnino in animalibus non tam diu quam in homine scabies perseverat; dum in homine forte ad decenniorum spatia adesse potest vel per totam vitam, bestiae mox exitu lethali abripiuntur. In scabie norwegica, nisi aliae affectiones exstiterunt, de quibus supra mentionem fecimus, prognosis melior est, quam pro longinuitate temporis, quo crustae in cute sunt, crustarum incremento et acarorum celeri propagatione haberi possit. Complicationes autem cum Tuberculosi aut Syphili, ut Hebrae in conspectum venerunt, minus faustiorem prognosin reddunt, atque sanguine prorsus corrupto, corpore emaciato, hydropibus demum ortis, omnino non bona fit. Sanatio spontanea vix in scabie vulgari observatur, nisi forte acari masculi sine ulla femina in cutem transgressi sunt, qui non cunicula in epidermide sed pruritum tantum exiguum efficiunt et mox pereunt.

Eccema, lichen, prurigo aliaeque affectiones cutaneae, quae eodem quidem tempore sed nullo connexu cum scabie crustosa ortae sunt, eandem prognosin faustum habent. Glandularum lymphaticarum inflammationes tumoresve, qui stimulo frequentium frictionum in cute geniti sunt, simul ac crustae ipsae sanant, et acaris remotis prorsus evanescent, nisi complicatione cum Scrofulosi aut Syphili prodierunt.

Quum iam scabies simplex cura negligenter observata, denuo supra totum corpus extendatur, in illa inveterata forma, scilicet Scabie norwegica, praeter bonam therapiam, munditia summa sola lavationesque, iterum iterumque factae, morbum

penitus extinguere possunt. Optima prognosis in scabie eorum est, qui habitu plethorico carent; nam in iis inflammatio cutis cura apta vix recrudescit.

## Therapia.

Cura, qua in sananda scabie norwegica utimur, causis aetiologicalis magnam partem indicatur. Quodsi, qui loci et cuius modi personae maxime morbo illo induantur, cogitamus, indicationes curae per se ipsae obviam nobis occurserunt. Potissimum absque ullo dubio contagium ac ingens incrementum immundi, cutis culturam nimis negligentes in se conferunt, id quod eo probatur, ut minus urbium quam pagorum incolae, cultura et ordine magis egentes, qui aut stupore aut inopia primariam affectionem therapiae aptae non tradunt, subducantur. Prae ceteris ergo in curando munditia opus est, iteratis lavationibus et corporis et vestimentorum. In eo haud differt cura a scabie vulgari: potius autem hoc momento, ut, qui scabie crustosa laborant, virium iactura, nervorumque diurna commotione prostrati, cura potius roborandi quam depascendi sint. In iis Tonicis ac Roborantibus, priusquam ad remotionem crustarum et sarcoptium medicus progrediatur, corpus facilior curae praebeatur; contra, quum sanguinis in locos, tamdiu incitamentis variis stimulatos, maior sit confluxus, ut, quemadmodum in psoriasis, cutis infiltrata sit atque aegroti omnino habitu plethorico scatent, potius quam alimentorum abundantia imminutio adhibenda est. Propter infectionem aliorum, quae procul etiam fieri potest, aegrotum ab aliis hominibus segregatum proprio conclavi curare, ratio maxime necessaria est, tanta enim infectionis vis

est, ut, quod iam supra diximus, ipsi custodes aegrotorum, qui scabie vulgari numquam infecti visi sunt, mox acaris obiecti essent.

Quod ad curam externam refert, non longe distat ab ea primariae scabiei. Spectandum enim est, ut crustae animalculis refertae removeantur, tum, ut sarcoptes in reti Malpighii enecentur, et in cutem infiltrationes resorbeantur. Remediorum iam ex vetustate contra scabiem traditorum, ingens numerus est. Plerumque acribus lavationibus cum calcio chlorato, Mercurialibus, ut hydrargyro chlorato corrosivo, Mercurio praecipitato albo utebantur, donec optimum remedium, Sulfur, in usum venisset, dum interna quoque medicamenta, Stibii instar, Hydrargyrum ac Sulfur ipse adhiberentur. Superioribus enim temporibus, atque ultimo etiam decennio scabiem non acaro sed dyscrasia quodam oriri, a doctissimis medicis putabatur, et exanthemata, quum ex corporis superficie remota essent, morbos internos, quasi metastases efficere posse, quibus non solum pleurae, pericardii, peritonei inflammationes sed etiam nervorum insanabiles affectiones, ut epilepsia, gignarentur. Nostra tamen aetate nemo scabiem pro sanguinis morbo habere atque eiusmodi metastasin in eius eruptionibus destruendis timere debet. Negare autem non possumus, scabiem crustosam, postquam per multos annos in corpore perduraverat, subito extinctam, eiusdem organis obnoxiam atque metastasium quidem sed non specificarum parentem esse posse. Diurno enim effluvio albuminosi plasmatis in crustas corpus ad iacturam sanguinis aliquam se assuescit, ut ad maiorem eius confluxum in locos infiltratos. Sin autem excretio illa tollitur, sanguinis fluxus in alias regiones dirigatur, et, quum in alio loco cutis exanthemata nova, ut acne et impetigo, evadant, tum pectoris aut abdominis inflammationes fiant oportet. Unde interdum pleuritis ac pericarditis ac inflammationes hepatis aut Morbus Brightii, facillime autem apoplexiae sanguineae exstare valent. Hoc rarissime in scabie simplici subse-

quetur, et quum etiam in litteratura afferantur exempla, certe, quia post hoc evenit, propter hoc habitum est. Crustarum et infiltrationis oppressio ex cute, ut eiusmodi metastases sputriae plane evitentur, cum derivationibus ex aliis partibus corporis coniungatur. Optime Laxantium, Diureticorum, praeceteris Drasticorum, uti Ialappes, Rhei, Digitalis, Squillae etc. etc. usus adhibeat.

Crustarum emollitio haud difficilis axungia, oleo aut aqua tepida fit; tum Kataplasma emollientia aut, ubi dolor per magnus est sapientia optime se praestant. Una cum crustis maxima multitudo sarcoptium aufertur. Quo facto, quae supersunt in rete Malpighii animalcula (in corium ipsum non invadunt) alcalinis remediis enecari possunt, sapone viridi aut linimento quodam cum kal. sulfurato. Quam modo recitavimus therapiam, et in muliere, iterum dicta adhibita est. Crustis oleo per duos dies continue illito emollitis et sine opera spathula remotis, strata altiora unguento sulfurato, de Hebra et Wilkinson dicto infricata sunt, ut acari enenarentur. Bis die corpus unguento subductum ciliciisque velatum in lecto per quatuor dies habitum, tum lavationibus alkalinis lavatum est. Mox pruritus tam excrucians evanuit, et vix tribus hebdomabus praeterlapsis simul cum infantulo suo prorsus sanabatur.

Sulfuris in Scabie norwegica medenda praeparata cuiusvis generis in usu sunt, praeceteris autem Sulfur sublimatus, qui cumspecifico quasi remedio habetur. Potissimum ille quidem cum Alcalinis, ut Kal. caust., aut cum remediis paullum excitantibus, ut oleo baccar. lauri etc. etc. miscetur et unguenti modo in pustulas vesiculosve illinitur. Etsi certe Sulfur quoque modo cuti impositus secundum habeat eventum, tamen illa unguenti forma, quod de Hebra et Wilkinson nominatur, plurimum adhibetur. His fere remediis unguentum compositum est:

Rp.

Sulfur. pulver.

Pic. liquid.

aa ſuij

Cret. pulver.

ſij

Sapon. domest.

Axung. porc.

aa ſvj

Misce fiat Unguentum.

Iure nobis Wilson sulfuris effectum in eo ponere videatur, ut acidum hydrothionicum exoriatur, unde acari simul cum ovulis delentur. Acaros enim, sulfure puro immixtos, statim morte opprimi vidit. Qua ratione acid. hydroth. ipsum, Kalii sulfurati lavationibus exortum certe eodem fructu adhibebitur, forte hac formula:

Rp.

Sulfuret. potass.

ſij

S. aq. bull.

azj

## Prophylaxis.

Ex iis, quae supra exposuimus, scabiem Boeckii crustosam morbum esse, quo nullus adhuc repertus est minacioris contagii, constat. Inde accuratissima prophylaxis jubaretur. Morbo affectos ab aliis segregari, multo magis necesse est quam in scabie vulgari. Quod si nulla via effici potest, iis, qui eodem conclavi vel domo habitant, summa

munditia corporis curae esse debet, iterum die cutis lavanda, neque solum aqua sed etiam saponibus ac acribus ac alcalinis. Lectos, lintea, vestimenta aegroti induere nullo modo licet, atque aeger ipse, crustis iam remotis, iis non utatur. Quum inopia eius tanta sit, ut carere iis non possit, et fere semper adhuc morbus iste in pauperibus observatus est, prius quam se iisdem vestiat, calore vel maximo torreantur aut fumis acid. sulfuros. vel calcii chlorati fumentur; tum rebus acriter olen-tibus, camphora, oleo terebinth. omne contagium extinguen-dum est.

Sane intimo animo cupimus, ut maior in dies non so-lum per medicos sed etiam per omnes cives cognitio disse-minetur, et in nostris regionibus psoram inveteratam tam horribilem existere, et, quae sint illius signa specifica, maxime autem, quanta opera in scabie vulgari medenda collocanda sit.

## V i t a.

---

Natus sum, *Albert Cohn*, Glogaviae ante diem IV. Cal. Dec. anni MDCCCXXXII, patre *Isaac Michael*, matre *Bertha*, e gente *Philipp*, quos bona valetudine utentes summa veneror pietate. Primis eruditionis elementis schola civica Glogaviensi imbutus, anno MDCCCXLIII, gymnasio evangelico, quod tunc sub auspiciis Dr. *Christian David Klopsch* florebat, traditus sum. Tempore paschali anni MDCCCLII testimonio maturitatis munitus Universitatem literarum Friderico-Guilel-mam Berolinensem adii. Berolino post triennium derelicto Universitatem Iuliano-Maximilianam, qua Wirceburgum gaudet, petii et a Rectore Magn. Jll. *Edel* in civium academicorum numero receptus sum. Per quatuor annos studio medicinae deditus scholas audivi, quas infra scripsi.

Viros illustr. *Schultz-Schulzenstein*: De encyclopaedia medica, *Gabler*: de logice, *Beneke*: de psychologia, *Weiss*: de mineralogia, *Braun*: de botanice, *Lichtenstein*: de zoologia, *Dove*: de physice, *E. Mitscherlich* de chemia anorganica, *Scherer*: de chemia organica ac physiologica.

Jll. Jll. *Ioann. Müller* et *Schlemm*: De anatomia generali et speciali, de physiologia et evolutionis historia; *C. G. Mitscherlich*: de materia medica, *Leibuscher*: de pathologia et therapia generali, *Romberg*: de pathol. et therap. speciali, *Scanzoni* et *Schöller*: De arte obstetricia, *Friedberg*: de chirurgia

et aciurgia, *Remak*: de anatomia microscopica; *Jll. Virchow*: de anatomia pathologica, *Casper*: de medicina forensi.

Scholas propaedeuticas et clinicas frequentavi:

Medicas: *Jll. Wolff, Leubuscher*;

Chirurgicas: *Jll. Langenbeck, Exp. Friedberg*;

Obstetricias: *Jll. Scanzoni et Schöller*.

Exercitationibus physiologicis et clinicis interfui:

*Jll. Jll. Kölliker, Leubuscher, Traube, v. Bärensprung, E. Schmidt, Dehler, Henr. Müller.*

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias maximas ago.

## **Sententiae controversae.**

---

- I. *Episiorrhaphiam reiicio.*
  - II. *Cloroformium in partibus plus adhiberi meretur, quam in praxi fit.*
  - III. *Rei publicae est medicos uti magistratus salario honorare.*
  - IV. *Est Eclampsia sine Uraemia.*
  - V. *Lithotomiae methodorum alta optima est.*
  - VI. *Ventriculi sarcina in ventriculi carcinomatice signum pathognomonicum non est.*
  - VII. *Aërotractor haud idoneum instrumentum.*
-

## **Scenariae constructione**

- IV. *Prologus* non est  
scenariae constructionis pars.
- V. *Actus* sunt divisiones  
scenariae, quae per se  
sunt actiones.
- VI. *Personae* sunt  
actores, qui agunt  
in scena.
- VII. *Locus* est  
scenariae pars, in  
qua actio agitur.
- VIII. *Proprietas* sunt  
ad personam pertinentes  
accessoriae.
- IX. *Accessoriae* sunt  
ad locum pertinentes  
accessoriae.
- X. *Conveniens* sunt  
accessoriae, quae  
pertinent ad actionem.
- XI. *Conveniens* sunt  
accessoriae, quae  
pertinent ad personam.
- XII. *Conveniens* sunt  
accessoriae, quae  
pertinent ad locum.
- XIII. *Conveniens* sunt  
accessoriae, quae  
pertinent ad actionem  
et personam.
- XIV. *Conveniens* sunt  
accessoriae, quae  
pertinent ad locum  
et actionem.
- XV. *Conveniens* sunt  
accessoriae, quae  
pertinent ad locum,  
personam et actionem.